



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fama Postvma Praesvlvm Antverpiensivm**

**Hugo, Hermann**

**Antverpiae, 1611**

Lævino Torrentio, Pontifici à cubiculis adlecto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69073](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69073)



Virtuti cognatus honos; micat aurea clavis  
 Heredem mirata suum, beat illa tenentem,  
 Quae sacrâ donata manu, magnique cubile  
 Praesulis, angustosque aperit veneranda penates.  
 Tu tanta tutela domus, tibi sacra patefcunt  
 Atria, tu certas gaudes imponere leges:  
 Arbitrio stant illa, tuo, modò limina nulli  
 Clausa patent, aditumque negant, reſerataque rursus  
 Intransent excipiunt. Nil tecta angusta frequentat,  
 Quin oculo censore notes, arcenda repellens,  
 Admittenda probans. Quin & penetrabilia rerum  
 Noscere, quin vigiles dignus coniungere sensus,  
 Cogeris in summis suffragia dicere rebus.

Theodorus Middelton.

LÆVINO TORRENTIO,  
 PONTIFICI  
 à cubiculis adlecto.

Qvis mihi flammato trepidantia lumina sole  
 Splendidus obtūdit Phaëton? quis fulgor Iberus,  
 Perculſos hebetans oculos, rutilante metallo  
 Arcanos spargit radios? an marmore picto  
 Ignea Mygdonios describunt atria gyros  
 Ingenio confusa suo? luxque hospita gemmas  
 Comit? captivasque incendit Iberia venas?  
 Se lux ipsa stupet, miratur conscius ignis  
 Insolitos auri radios: aliena salutat  
 Lumina, & insueto gaudet radiare nitore.  
 Sacratas cognosco faces: maiore renides  
 TORRENTI radio, te lucens flamma metalli

Ambit,



*Ambit, & aurato complectitur igne potestas:*  
*Magnanimis splendes trabeis, & murice grato*  
*Oebalis Assyrias incendit purpura pallas;*  
*Aurea præfulget clavis, dextraque micantis*  
*Maiestas augusta nitet. Superata vetustas*  
*Erubeat, sceptrumque manu pallente remittat*  
*Ianus, & illustres miretur clavis honores.*  
*Nobilitas te celsa colit, patrumque curules*  
*Supremis celebrant titulis: tibi culmina magni*  
*Pontificis, sacrique patent penetralia regni*  
*Atque adyti secretus honos, promptumque penates*  
*Arcanos reserat limen: tibi credita tecti*  
*Paret religio. nec si diademata Regum*  
*Vitricisque Aquila Romana cacumina pulsent;*  
*Te sine Caesaribus penetralia tanta resoluat*  
*Ædis, & occultos pandat domus ampla recessus.*  
*Scilicet incorrupta fides sublime gubernat*  
*Imperium mentis: nescit succumbere fraudi,*  
*Larvatisque doli fucis, diadema verendum*  
*Iniunctæ fidei. Phalaris reboante metallo*  
*Pectoris exploret vires; pomœria cordis*  
*Tentet atrox Scyron; funesto carcere Sulla*  
*Oppugnet fasces animi; post busta superstes*  
*Durabit celsæ mentis rigor: ardua stabit*  
*Vis animi, & nullo nutans constantia casu.*

Hermannus Spruyt Antwerp.

Proprio cruori innatabat infelix Belgica;  
 & quasi à Bello traxisset nomen, numquam  
 tranquilla stabat, ciuilibus semper lacerata  
 tumultibus. Aderat cum exercitu ingenti  
 Ioan-



Ioannes Austriacus, inde confœderata Belgicæ stabant capita, cum veluti ad salutem natus Belgarum TORRENTIVS, adulta iam odia vtrimque mitigauit. quare

## L Æ V I N O

Bellorum ciuiliū Auerrunco  
sex laureas consecramus.

**Q**uis consanguineo nigrantia stagna cruore  
Belgiadūm, tepido quis pingues sanguine cāpos  
Nescit, & alternis exhaustas mortibus vrbes?  
Exitium cum mœsta timens, & fessa cruentis  
Stragibus, ad celsas LÆVINI Belgica sedes  
Tenderet, infauſtis iam consultura ruinis;  
Non solito vultu, fuluo nec blandior auro,  
Frontem tristè rigens, sparsosque inculta capillos,  
Et stantes laniata sinus: sedet intus abactis  
Squalida lux oculis; mœstis vix ægra lacertis.  
Erosum gestat clypeum: rubigine tela  
Squallent, & nigris defunt mucronibus ira:  
Mox singultatas effundens pectore voces,  
Ructabat misero tales de corde querelas:  
Cernis ut assiduo Martis lacerata furore,  
TORRENTI, in diuersa ferar: velut alnus in undis,  
Quam fera tempestas, laxisque emissa cauernis  
Hippotade furibunda cohors, & fulmina torquent,  
Fluctuat, immensum tandem potura profundum.  
Nec tamen, heu, nostris externum ascribimus hostem  
Vulneribus; proprio lacerantur pectora ferro,  
Perfi-